


كتاب التصريف

تاءليف الشيخ الامام

LIBER TASRIPHI COMPOSITIO EST SENIS ALEMAMI.



Traditur in eo compendiosa notitia coniugationum verbi Arabici.

Nunc primùm ad publicam vtilitatem

LIBERALITATE

S. D. N. PAVLI. V. P. M.

ROMAE

Impressus.

Addita est duplex versio Latina, ad verbum altera, & altera ad sensum cum non nullis non minus breuibus quàm necessarijs declarationibus.

SVPERIORVM PERMISSV.

Ex Typographia Medicaea linguarum externarum

Anno. 1610.



SANCTISSIMO PATRI
PAVLO. V.
PONT. OPT. MAX.





NTER ardua præcipuè, & magni momenti negocia, quæ Christi in terris Vicarij curæ, & sollicitudini incumbunt; Nemo est, Beatissime Pater, qui non propagationem sanctæ Fidei, cuius fundamento Ecclesia omnis illi commissa innititur, esse fateatur. Eius porrò propagandæ ratio vna est, Verbum Dei: Quod quidem, præter influentẽ Diuini Spiritus gratiã, sine qua nihil rectè effici potest, Humana quoque, cum viuæ vocis, tum scripturæ præsidia desiderat. Per hæc enim, in animis hominũ, satum atque excultum, fructus æternæ salutis fert, ac longè latèque proficiens, fidei Christianæ terminos extendit. Hoc cum certò persuasum haberet immortalis memoriæ Pontifex Gregorius XIII. Pro eo zelo qui in eius pectore ardebat Ecclesiæ Dei amplificandæ, cum plura in Vrbe Roma exterarum nationum Collegia fundauit, tum peregrinarũ quoque linguarum Typographiam, summa prouidentia instituit, quæ & earum characterum officina locuples esset, & præter Grammaticas vniuscuiusque Institutiones, seu

§ 2 *sacros,*

ſacros, ſeu profanos, diuerſo idiomate conſcriptos libros in lucē daret. Ex eò perſpicua illa vtilitas apparebat, vt cum multi earūdem linguarū ſtudio incitarētur, tum hac adiuti commoditate, vbi eas perdidiciſſent, idonei fierent, iuxta Viennenſis Concilij Decretum, qui Euangelicæ tubæ ſonum, in omnes quāuis remotiſſimas terras proferre poſſent; Digna ſanè hæc ſummo atque vniuerſali Paſtore cogitatio, vt optatum finem, eo quem Diuini numinis honor & res publica poſtulabat fructu & exiſtimatione ſortiretur, opus hoc omne Sapientiſſimus Pontifex Magni Hetruriæ Ducis Ferdinandi, qui tum inter Cardinales erat, auctoritate & amplitudine fulciendum putauit; hancque ob cauſam negociorum Regni Aethiopiæ, ac Patriarchatus Aegypti, & Antiochiæ, Eum protectorē, cum ampliſſima poteſtate declarauit. Viuebam ego eo tēpore, apud Nobiliſſimum illum Cardinalem ſtudia mea ſuis opibus ſuſtentantem, cuius mandato, quamuis indignus Conuentui ei præpoſitus fui, quem ex pluribus multiplici doctrina, & variarum linguarum cognitione præſtantibus viris, quorum omniū eius domus erat liberalis Alumna coegit atque inſtituit: Cuius cōſultationum atque laborum, ij effectus breui prodierunt, quibus, vt ita dixerim, equo illi Troiano frenum iniectū eſt, quem in longe diuerſa parte terrarum, homines ſimilia conantes maiore animo quam facultate, in publicum ſe emiſſuros minitabantur. Nam vt noſtra ab illis conſpecta ſunt abſterriti illico, atque haſtas abijcientes deſtiterunt, cum ſe ab ijs adiumentis imparatos planè cognoſcerent, quibus nos abundabamus. Etenim Princeps noſter, qui ſe Medicæis maioribus ſuis dignum ſemper præbuit, ſingulari ac profuſa vtens munificentia, ac ſumptui nulli parcēs, quò Apoſtolicæ Sedis negocium ageret, in varias Orientis partes, Ornatiſſimos ſtatim Viros emiſit, qui

omnis

omnis generis disciplinarum libros, & dissimili earum Nationum idiomate conscriptos, diligenter peruestigaret. Itaque cum illorũ breui tempore satis idonea ad eum supellex delata esset, mihiq. eam excutiendam tradidisset, sicuti & hodie apud me preciosi instar thesauri adseruatur. Primum, vt singularum linguarum Characteres designãdos atque ad amussim excudẽdos curarem, iniunxit. Deinde præter cum Chaldaicæ, tum Arabicæ linguæ Grammaticas Institutiones, præterq. Auicennas & Euclides, aliosq. Veterum perutiles libros Arabicis typis imprimendos; mandauit etiam vt in Arabicis Euangelijs latinitate donatis, omnis Typographiæ cura atque opera poneretur. Quorũ quidem exemplaria tria millia excusa sunt, ne qua mora esset, quin ad Dei Verbum disseminãdum in Orientis partes transmitti possent., quod sane & maxima celeritate, & valde feliciter Deo bene iuuante perfectum est. Ego vero maiora etiam animo præceperam, vt pro eo onere, quod mihi impositum fuerat Sanctissimi illius Pontificis desiderio ac voluntati prolixius satisfacerem. Sacra enim Biblia sex Principum Orientis linguarum suis quæque Typis euulgare decreueram, vt Latinis, Græcis, Hebraicis, Chaldaicisque adiuncta decem linguarum numerum explerent; adiectis etiam quæ vocant Dictionarijs, & propria cuiusque Arte Grãmatica; cuiusmodi quidem Biblia non Regia amplius, sed Pontificia dignissimo titulo nuncupanda iudicabam. Id vero mihi facere promptissimum erat, cum omnium Codicum exemplaria & omnium, quas dixi linguarum characteres penes me essent, excellentiũm Artificum manu, ad hunc finem elaborati. Apparabam etiam, è longa nocte, in qua sepulti iacent, in aspectum lucemque proferre libros omnes, quos Pappus Alexandrinus, ad certam & euidentem rerum Mathematicarũ

scien-

ſcientiam quam reſolutiuam vocant, comprehendendam neceſſarios eſſe teſtatur. Variarum denique diſciplinarum complures, & ſingulares libros, à grauiſſimis Græciæ ſcriptoribus quondam elucubratos, in proprio quidem idiomate deperditos ac deploratos, in Arabico autem ac Perſico, traslationis beneficio conſeruatos collegeram; necnon & præclara alia Arabũ ipſorũ, atque Perſarum, & præterea Syrorum in omni genere literarum monumẽta, obſcura noſtris tẽporibus & ignota, ad editionem ſepoſita habebam. Talia meditanti Sanctiſſimi Pontificis Gregorij mors interuenit. Nec ita multò poſt ijs auxilijs deſtitutus, quæ mihi præſens generoſi illius Principis patrocinium ſuppeditabat, quẽ Magno Duci Franciſco mortuo, in ſucceſſionem fraterni Imperij Hetruria ad ſe repentè vocauit; meis planè diffidens viribus, cum & eruditi illius Conuentus, quem initio dicebam Socios omnes viginti annorũ ſpatio amiſiſſem; inter tot aduerſantium rerum caſus, coepta interrũpere ac neceſſitati cedere coactus fui. Numquam tamen ab ea ſpe animũ deflexi, quin aliquãdo affulgens Diuinæ miſericordiæ lux, opus adeo Eccleſiæ ſuæ neceſſariũ, ac gentibus omnibus ſalutare in integrum eſſet reſtitutura. Id quidem feliciter tandem, & incredibili mea cum voluptate, eueniſſe intueor, poſteaquam te Paule Quinte, manifeſto ſui numinis afflatu, præpotens Deus, ad ſublime Petri ſoliũ extulit; In quo reſidẽs, cum nihil aliud quàm Chriſtianæ Reipublicæ decus ac dignitatem propoſitum habeas, clariſſimorum Pontificum veſtigijs magno gradu inſiſtens, nullam partẽ omittis veræ laudis vndique colligendæ. Teſtatur hoc Iuſtitia, æquiſſima lance temperata, Annona, populis copioſè præſtita, Pax, vbique ſalubriter conſeruata. Teſtatur Regia magnificentia, qua ſuperiorũ Pontificum opera, maximo Romanæ Vrbis ornamen-

to,


to, reparas, amplificas, absoluis; Inter quæ venerabilis Vaticani Templi moles, centum & amplius annos pendēs, ad summi Dei, & Principis Apostolorum honorē, mirifice hodie acceleratur, vt absoluta tandē, gloriosi tui nominis Titulo decoretur. Quid Aedes Pōtificias in Quirinali amplificatas? Quid Sacellū in Exquilijs sumptuosissimè extructū? Quid patefactas dilatatasque Vias? Quid aquā Augustam in Vrbē vberius & magnificentius te ducente reuersuram commemorem? Erit profectò Beatissime Pater, inter hæc gloriæ tuæ monumenta, illud etiam apud posteros memorabile, quòd opus tanti momenti, quanti hoc est exterarum linguarum, Christianæ fidei propagandæ studio in pristinum statū restitueris. Intermortuum enim, ac pene extinctum ad vitam quodammodo reuocasti, honorifico attributo stipendio, quo labores Ministrorum, & studia insignium virorum compensantur, quorum opera & industria necessaria est, vt earumdem linguarum domicilium, patens, & cum vtilitate publica conseruetur. Equidem in hac peritia linguarum, cum plane exploratum haberem, quantum Amplissimi Cardinalis Peronij omnibus bonis artibus excultum ingenium valeat, operæ precium me facturum duxi, quo ille tēpore Romæ morabatur, cogitationes has meas, omnemq. supra significatum apparatum, cum eo communicare. Qui cum mihi confirmasset id, de quo minime dubius eram, ab ea animi magnitudine, qua Sanctitas V. prædita est heroicam quamlibet actionem expectari posse, adiecit etiam, cum eadem se de hoc toto negocio iniecisse sermonem, totaq. re approbata, quod & idem Cardinalis sentiebat sapientissimo suo iudicio visum, quò hæc tanti Operis moles solidis fundamentis exurgeret, ab ijs principijs inchoandum, quæ maxime necessaria sunt, nempe à Grāmaticis institutionibus, & Dictionarijs lingua-

rum,

rum, ideoq; iussisse eandem Sanctitatem suam, vt in hæc ante omnia incumberetur. Ego igitur, ceteris omnibus studijs prætermissis, vt cælestis auctoritatis suæ nutui obedirem, animum illico appuli ad Grammaticen hanc, cui titulus est Tasriphus, ex Arabico in Latinum sermonem transferendam, cum ab extremo vsque Oriente certior factus essem, hanc illic in scholis prælegi, atque ijs ediscendam proponi, qui Arabicæ linguæ rudimenta percipere student. Prodit hæc Beatissime Pater, in lucem Augustissimi tui nominis splendore insignita, quæ quidem etiam velut Arrhabo eorum librorum præcurrit, quibus Grammaticæ artes aliæ, ac Dictionaria Arabica, Persica, itemq. Aegyptiaca continentur. quæ etiam ipsa in promptu cum sint, quemadmodũ Sanctitas sua proprijs oculis libauit, si modo Deus senectuti meæ fauere nõ dedignabitur, vna cum Latina interpretatione in lucem edentur. Precor humillimè à Sanctitate V. vt has tantorum laborum meorum primitias, si ex re ipsa perpendantur exiguas, si ex fine ad quem referuntur, non cõtemnendas, benigna fronte respicere dignetur; Quas ei quidem, vt singularis meæ erga ipsam obseruantiæ, & animi ad parendum paratissimi argumentum offero; Agnoscet in hoc imaginem suæ liberalitatis, quandoquidem Tasriphus opus est manuum suarum, ac velut obses & pignus deuoti gratiq. animi, quem immortalibus eius erga me meritis debeo, in conspectum venit Sanctitatis Vestræ. Quam Deus Opt. Max. ad sacrosanctæ Ecclesiæ suæ gloriã, totiusq. populi Christiani salutem, quàm diutissime seruet incolumem. Romæ XVI. Kal. Octob. M DC X.

Sanctitatis Vestræ Humillimus & Deuotissimus Seruus.

Io. Baptista Raymundus.



بسم الله الرحمن الرحيم

In nomine Dei miſericordis miſeratoris.

كتاب التصريف تاليف الشيخ الامام

Liber Taſriphi. Compoſitio ſenis Elamami.

اعلم أن التصريف في اللغة التغيير وفي الصناعة تحويل الأصل الواحد إلى امثلة مختلفة لمعان مقصودة لا تحصل إلا بها


Cias quòd Taſriph in idiomate eſt mutatio, & in arte eſt reuolutio trunci vnius in exempla variata pro ſignificatis obiectis, quæ non proueniunt niſi cum illis.

Scias dictionem Taſriph, ſecundùm quidem idioma Arabicum, eſſe mutationem, ſecundum autem artem Grammatica, eſſe reuolutionem thematis vnius in exempla variata, pro ſignificatis nobis occurrentibus, quæ ſine illis conſequi minime poſſumus.

Taſriph duo habet in lingua Arabica ſignificata, quorum alterum quidem eſt idiomatis, quod videlicet illi impoſuit inſtitutor linguæ Arabicæ, & illud ſignificat mutationem, alterum vero artificioſum, & eſt quod illi impoſuit profeſſor artis Grammaticæ,& hoc ſignificat reuolutionem thematis vnius, (quod iuxta opinionem huius authoris eſt nomen verbale, maſdar dictum) in exempla variata.

Exempla ſunt deductiones & formationes, quæ ab ipſo themate deriuãtur, vt coniugationes, & ipſarum modi , & tempora, ipſorumque temporũ negationes, & prohibitiones: inſuper numeri, perſonæ, & genera: amplius nomina actiua , paſſiua, reciproca, frequentatiua , comparatiua, excellentia, ſiue ſuperlatiua, diminutiua, inſtrumentalia, & alia quàm plurima.

Variata additione vnius,vel plurium literarum ante , vel poſt aliquã ex literis thematis,aut earũ caſu,vel defectu,& additione,et mutatione motionum , ſiue vocaliũ,& ſignorũ quietis,& duplicationis,ſeu corroborationis.

Hæc autem exempla variata formantur pro ſignificatis inter loquendum occurrentibus,quæ non niſi cum illis exemplis conſequi poſſumus.

ثُمَّ ٱلْفِعْلُ إِمَّا ثُلَاثِيٌّ وَإِمَّا رُبَاعِيٌّ وَكُلُّ وَاحِدٍ مِنْهُمَا إِمَّا
مُجَرَّدٌ أَوْ مَزِيدٌ فِيهِ وَكُلُّ وَاحِدٍ مِنْهَا إِمَّا سَالِمٌ أَوْ غَيْرُ
سَالِمٍ وَنَعْنِي بِٱلسَّالِمِ مَا سَلِمَتْ حُرُوفُهُ ٱلْأَصْلِيَّةُ ٱلَّتِي
تُقَابَلُ بِٱلْفَاءِ وَٱلْعَيْنِ وَٱللَّامِ مِنْ حُرُوفِ ٱلْعِلَّةِ ٱلَّتِي هِيَ
ٱلْأَلِفُ وَٱلْوَاوُ وَٱلْيَاءُ وَمِنَ ٱلْهَمْزَةِ وَٱلتَّضْعِيفِ

Deinde Verbum aut eſt ternarium , aut quaternarium, & quodlibet eorum duorum aut eſt purum,aut additum ĩ ſe. Et quodlibet eorum aut eſt ſeruatum,aut nõ ſeruatum.& ſignificamus per ſeruatum illud , cuius ſeruãtur literæ truncales, quæ recipiuntur per Phe, Ain,& Lam,ex literis infirmis, quæ ſunt Aliph,& Vau, & Ie, & ex Hamzat, & reduplicatione .

Præterea Verbum aut eſt trium , aut quatuor literarum , & illorum duorum vnumquodque , aut eſt purum , aut additum in ſe, & eorum quodlibet,aut eſt ſeruatum , aut infirmum (in-

telligimus autem per seruatum verbum illud; cuius literæ truncales quæ correspondent literis Phe, Ain, & Lam) seruantur omnes ex literis infirmis, quæ sunt Aliph, Vau, & Ie, & ex Hamzat, & ex Tadhipho, &c.

Verbũ igitur nõ seruatũ, aut infirmũ erit, cuius nõ seruãtur literæ trũcales ex literis infirmis Aliph, & Vau, & Ie, & ex Hãzato, & reduplicatione.

3

أَمَّا الثُّلَاثِيُّ الْمُجَرَّدُ فَإِنْ كَانَ مَاضِيهُ عَلَى وَزْنِ فَعَلَ مَفْتُوحُ الْعَيْنِ فَمُضَارِعُهُ يَفْعُلُ أَوْ يَفْعِلُ بِضَمِّ الْعَيْنِ أَوْ كَسْرِهَا نَحْوُ نَصَرَ يَنْصُرُ وَضَرَبَ يَضْرِبُ ۞

At Ternarium purum siquidem fuerit Preteritum eius secundum mensuram Verbi فَعَلَ maphtuhati in Aini, Modhareum eius erit يَفْعُلُ aut يَفْعِلُ cum motione Dhãma in Aini, vel cum motione sua Kesre, vt نَصَرَ يَنْصُرُ & ضَرَبَ يَضْرِبُ

Verbum autem trium literarum purum siquidem Præteritum habuerit ex ordine Verbi فَعَلَ *cuius videlicet secunda litera truncalis est cum motione Phatha, eius quidẽ Præsens vel Futurum, habebit in eadem secũda truncali, motionem Dhamma, vt* ضَرَبَ يَضْرِبُ *aut motionem Kesra vt* نَصَرَ يَنْصُرُ

4

وَيَجِيءُ عَلَى يَفْعَلُ بِفَتْحِ الْعَيْنِ إِذَا كَانَ عَيْنُ فِعْلِهِ أَوْ لَامُهُ

حَرْفًا مِنْ حُرُوفِ الحَلْقِ وَهِيَ الهَمْزَةُ وَالهَآءُ وَالعَيْنُ وَالحَآءُ وَالغَيْنُ وَالخَآءُ نَحْوَ سَأَلَ يَسْأَلُ وَمَنَعَ يَمْنَعُ وَأَبَى يَأْبَى شَاذٌّ ۞

Et venit ſecundum يَفْعَلُ cum motione Phatha in Aino, ſi fuerit Aino Verbi ſui,aut Lamo ex literis gutturis, & ſunt Alhamzato, & Alhao, & Alaino, & Alhhao, & Algaino & Alchao. veluti سَأَلَ يَسْأَلُ & مَنَعَ يَمْنَعُ & أَبَى يَأْبَى eſt exceptuatum.

Et venit ſecundum formam يَفْعَلُ *cum motione, videlicet Phatha, in ſecunda litera truncali, quando fuerit ſecunda vel, tertia litera truncalis, verbi ſui, ex literis gutturis, quæ ſunt Alhamzato, & Alhao, & Alaino, & Alhhao, & Algaino, & Alchao, veluti* سَأَلَ يَسْأَلُ *&* مَنَعَ يَمْنَعُ *Verbum autem* يَأْبَى أَبَى *eſt exceptuatum.*

وَإِنْ كَانَ عَلَى فَعِلَ مَكْسُورَ العَيْنِ فَمُضَارِعُهُ يَفْعَلُ بِفَتْحِ العَيْنِ نَحْوَ عَلِمَ يَعْلَمُ إِلَّا مَا شَذَّ نَحْوَ حَسِبَ يَحْسِبُ وَأَخَوَاتُهُ ۞

Et ſi fuerit ſecundum فَعِلَ Makſuratum in Aino,erit Mo-

dhareum eius يَفْعَلُ cum Phatha in Aino, veluti يَعْلَمُ عَلِمَ præter illud, quod exceptuatur, veluti يَحْسِبُ حَسِبَ & paria illi.

Et si fuerit Præteritum eius secundum ordinem verbi فَعِلَ *quod habet in secunda litera truncali motionē Kesra, erit eius Præsens, vel Futurū* يَفْعَلُ *cū motione Phathi, in secūda litera truncali veluti* يَعْلَمُ عَلِمَ *exclusis illis Verbis quæ, exceptuantur, vt est* يَحْسِبُ حَسِبَ *& similia illi.*

وَإِنْ كَانَ عَلَى فَعُلَ مَضْمُومُ العَيْنِ فَمُضَارِعُهُ يَفْعُلُ بِضَمِّ العَيْنِ نَحْوُ حَسُنَ يَحْسُنُ *

Et si fuerit secundum فَعُلَ Madhmumatum in Aino, erit Modhareum eius يَفْعُلُ cum Dhammo in Aino, veluti يَحْسُنُ حَسُنَ

Quòd si fuerit eius Præteritum secundū ordinem Verbi فَعُلَ *cum motione Dhāmi in secūda litera truncali, tunc eius Præsens, vel Futurū erit* يَفْعُلُ *cum motione Dhammi in secunda litera truncali, verbi gratia* يَحْسُنُ حَسُنَ

[7] وَإِمَّا الرباعيّ المجرّد فهو فَعْلَلَ كَدَحْرَجَ يُدَحْرِجُ دَحْرَجَةً ودِحْرَاجًا ۞

At Quaternarium purum est فَعْلَلَ veluti دَحْرَجَ يُدَحْرِجُ دَحْرَجَةً & دِحْرَاجًا

Verbi autem habentis quatuor literas truncales puri, quod est فَعْلَلَ *cuius ordinis est Verbũ* دَحْرَجَ *Præsens eius, vel futurũ est* يُدَحْرِجُ *& nomen verbale* دَحْرَجَةً *&* دِحْرَاجًا

[8] وامّا الثلاثيّ المزيد فيه فهو على ثلثة اقسام الاوّل ما كان على اربعة احرف كأَفْعَلَ نحو أَكْرَمَ إِكْرَامًا وفَعَّلَ نحو فَرَّحَ تَفْرِيحًا وفَاعَلَ نحو قَاتَلَ مُقَاتَلَةً وقِتَالاً ۞

At Ternarium additum in se est super tres partes. Prima, eius quod est super quatuor literas, vt أَفْعَلَ veluti أَكْرَمَ إِكْرَامًا & فَعَّلَ veluti فَرَّحَ تَفْرِيحًا & فَاعَلَ veluti قَاتَلَ مُقَاتَلَةً & قِتَالاً

Verbum autem trium literarum additum in se diuiditur in tres partes, quarum prima est eorum verborum, quæ facta in ipsis vnius literæ additione, fiunt quatuor literarum, veluti أَفْعَلَ

فَرَّحَ *verbi gratia* اَكْرَمَ اِكْرَامًا & فَعَّلَ *veluti est* فَرَّحَ

قِتَالًا & مُقَاتَلَةً قَاتَلَ *vti est* فَاعَلَ & تَفْرِيحًا

الثّانى ما كان ماضيه على خمسة احرف امّا اوّله التّآء

مثل تَفَعَّلَ نحو تَكَسَّرَ تَكَسُّرًا وتَفَاعَلَ نحو تَبَاعَدَ تَبَاعُدًا

وامّا اوّله الهمزة مثل إِنْفَعَلَ نحو إِنْقَطَعَ إِنْقِطَاعًا

وَإِفْتَعَلَ نحو اِجْتَمَعَ اِجْتِمَاعًا وإِفْعَلَّ نحو اِحْمَرَّ اِحْمِرَارًا.

Secunda eſt eius, cuius Præteritum eſt ſuper quinque literas, vel enim prima eius litera eſt Te, veluti تَفَعَّلَ verbi gratia تَكَسَّرَ تَكَسُّرًا & تَفَاعَلَ veluti تَبَاعَدَ تَبَاعُدًا vel, eius prima eſt Hamzato veluti eſt إِنْفَعَلَ verbi gratia إِنْقَطَعَ إِنْقِطَاعًا & إِفْتَعَلَ verbi gratia إِجْتَمَعَ إِجْتِمَاعًا & إِفْعَلَّ exempli gratia إِحْمَرَّ إِحْمِرَارًا

Secunda pars eſt eorum verborum, quorũ facta in ipſis duarũ literarum additione Præteritum erit quinque literarũ, vel enim additur in principio Præteriti litera Te, & ſecunda litera truncalis duplatur per ſignum Teſcdid vt تَفَعَّلَ *veluti eſt verbum* تَكَسَّرَ *cuius Maſdar eſt* تَكَسُّرًا *aut addita ſimili modo in*

principio Præteriti, eadem litera Te, post primam literam trun-calem, additur litera Aliph, vt تَفَاعَلَ *veluti est verbum* تَبَاعَدَ *cuius, Masdar est* تَبَاعُدًا *vel additur in principio Præteriti, litera Hamzat, & litera Nun, vt* إِنْفَعَلَ *veluti est Verbum* إِنْقَطَعَ *cuius Masdar est* إِنْقِطَاعًا *aut rursus addita litera Hamzat in principio Præteriti, additur & post primam literam truncalem, litera Te, vt* إِفْتَعَلَ *veluti est Verbum* إِجْتَمَعَ *cuius Masdar est* إِجْتِمَاعًا *vel, & facta quoque additione literæ Hamzat in principio Præteriti, vltima litera truncalis Præteriti, duplatur per signū Tesdid, vt* إِفْعَلَّ *vt est Verbum* إِحْمَرَّ *cuius Masdar est* إِحْمِرَارًا

10

الثَّالث ما كان على سِتَّة احرف مثل اِسْتَفْعَلَ نحو
اِسْتَخْرَجَ اِسْتِخْرَاجًا و اِفْعَالَّ نحو اِحْمَارَّ اِحْمِرَارًا و
اِفْعَوْعَلَ نحو اِعْشَوْشَبَ اِعْشِيشَابًا و اِفْعَنْلَلَ نحو
اِقْعَنْسَسَ اِقْعِنْسَاسًا و اِفْعَنْلَى نحو اِسْلَنْقَى اِسْلِنْقَاء

Tertia est eius, cuius Præteritum est super sex literas, veluti
اِسْتَفْعَلَ vt اِسْتَخْرَجَ اِسْتِخْرَاجًا & اِفْعَالَّ vt اِحْمَارَّ

اِفْعَنْلَلَ & اِعْشِيشَابًا اِعْشَوْشَبَ vt اِفْعَوْعَلَ & اِحْمِرَارًا

اِسْلِنْقَاءً اِسْلَنْقَى vt اِفْعَنْلَى & اِقْعِنْسَاسًا اِقْعَنْسَسَ vt

Tertia ex tribus partibus est eorũ Verborum, quorum facta in ipsis additione trium literarum, Præteritum erit sex literarum, Hoc autem accidit quinque modis, vel enim adduntur in principio Præteriti tres literæ, nempe Aliph, Sin, & Te, vt اِسْتَفْعَلَ *veluti est Verbum* اِسْتَخْرَجَ *cuius Masdar est* اِسْتِخْرَاجًا

Vel adduntur Præterito duo Aliph, vna in principio, altera post secundam literam truncalem, & duplatur cum signo Tescdid tertia truncalis, vt اِفْعَالَّ *veluti est Verbum* اِحْمَارَّ *cuius Masdar est* اِحْمِرَارًا *Vel adduntur Præterito duæ literæ, Aliph quidem ante primam truncalem, & post secundam truncalem litera Vau, & post hanc alia litera similis secundæ truncali, vt* اِفْعَوْعَلَ *veluti est Verbum* اِعْشَوْشَبَ *cuius Masdar est* اِعْشِيشَابًا *Vel & quartò, ante primam literam truncalem Præteriti additur litera Aliph, & post secundam truncalem litera Nun, & actu, non cum signo Tescdid, duplatur tertia truncalis, vt* اِفْعَنْلَلَ *veluti est Verbum* اِقْعَنْسَسَ *cuius Masdar est* اِقْعِنْسَاسًا *Vel & quintò, adduntur Præterito*

B

tres literæ, Aliph quidem ante primam truncalem, & post secundam litera Nun, & post tertiam litera Ie, vt اِفْعَنْلَى *veluti est Verbum* اِسْلَنْقَى *cuius Masdar est* اِسْلِنْقَاءٌ

11

واَمّا الرباعي مزيد فيه فامثلته تَفَعْلَلَ كتَدَحْرَجَ تَدَحْرُجًا واِفْعَنْلَلَ كاِحْرَنْجَمَ اِحْرِنْجَامًا واِفْعَلَلَّ كاقْشَعَرَّ اقْشِعْرَارًا ۞

At quaternarium additum in se exempla habet تَفَعْلَلَ veluti تَدَحْرَجَ تَدَحْرُجًا & اِفْعَنْلَلَ veluti اِحْرَنْجَمَ اِحْرِنْجَامًا & اِفْعَلَلَّ veluti اقْشَعَرَّ اقْشِعْرَارًا

Verbi autē quatuor literarū hæc sunt exēpla تَفَعْلَلَ *veluti est Verbum* تَدَحْرَجَ *cuius Masdar est* تَدَحْرُجًا *per additionem literæ Te, ante primam truncalem, &* اِفْعَنْلَلَ *veluti est Verbum* اِحْرَنْجَمَ *cuius Masdar est* اِحْرِنْجَامًا *per additionem literæ Hamzat ante primam truncalem, & literæ Nun inter secundam & tertiam ex literis truncalibus, &* اِفْعَلَلَّ

veluti est Verbum إِقْشَعَرَّ *cuius Masdar est* إِقْشِعْرَارًا *per additionem simili modo literæ Hamzat ante primam truncalē, & duplationem vltimæ truncalis per signum Tescdid.*

12

الفعل امّا متعدّ وهو الفعل الّذى يَتَعَدّى الي مفعول به كقولك ضَرَبْتُ زَيْدًا ويسمّى ايضًا وَاقعًا ومُجَاوِزًا

Verbum vel est transitiuum, & est Verbum quod pertrāsit ad passum, vt cum dicis ضَرَبْتُ زَيْدًا percussi Zaidum, & vocatur etiam cadens, & pertransiens.

Rursus Verbum vel est transitiuū, & est Verbum, cuius actio transit in passum, verbi gratia quando dicis ضَرَبْتُ زَيْدًا *percußi Zaidum. Hoc autem Verbum transitiuum vocatur etiam cadens, quia eius actio cadit in passum, & pertransiens, quia, vt quoque dictum est, eius actio transit in passum.*

13

وامّا غير مُتَعَدٍّ وهو الّذى لم يتجاوز الفاعل كقولك حَسُنَ زَيْدٌ وَيُسَمَّى غير المُتَعَدِّي لازمًا وغير واقع ❀ ❀

Vel Intransitiuū & est illud, cuius non pertransit agens, vt quando dicis حَسُنَ زَيْدٌ pulcher factus est Zaidus, & vocatur absque transitione permanens, & non cadens.

Vel est intransitiuum, & est illud Verbum, cuius agentis actio non transit in passum, verbi gratia, cùm dicis حَسُنَ زَيْدٌ *pul-*

cher factus est Zaidus, & vocatur etiam hoc Verbum sine transitione permanens, propter eandem rationem, quia actio agentis nõ transit in passum. vocatur quoque non cadens, quia scilicet actio agentis non cadit super passum.

14

وَتَعْدِيَتُهُ فِى الثُّلَاثِى المجرد بتضعيف العين او بالهمزة كقولك فَرَّحْتُ زَيْدًا وَاَجْلَسْتُهُ وبحرف الجرّ فى الكلّ نحو ذَهَبْتُ بِزَيْدٍ وَانْطَلَقْتُ بِهِ

Et trãsitio eius in ternario puro fit cũ reduplicatione secũdæ literæ truncalis, vel cum litera Hãzat, veluti sermo tuus. فَرَّحْتُ زَيْدًا gaudio affeci Zaidum وَاَجْلَسْتُهُ & sedere feci eum. Et cum litera Giarri in omnibus, verbi gratia, ذَهَبْتُ بِزَيْدٍ abire feci Zaidum. وَانْطَلَقْتُ بِهِ & abire feci eum.

Et Verbũ trium literarum purum intransitiuũ, fit transitiuum per reduplicationem secundæ literæ truncalis, vt فَرَّحْتُ زَيْدًا *gaudio affeci Zaidum, vel per additionẽ literæ Hamzat ante primam truncalem, vt* اَجْلَسْتُهُ *sedere feci eum. Vniuersaliter autem omnia Verba tam trium literarum quàm quatuor literarum siue pura sint siue addita in se ipsis, quæ in transitiua sunt, fiũt trãsitiua per literã Giarri, verbi gratia* ذَهَبْتُ بِزَيْدٍ *abire feci Zaidũ* وَانْطَلَقْتُ بِهِ *& abire feci eum.*

15

فصل في امثله تصريف هذه الافعال

Sectio de exemplis reuolutionis horum Verborum.

Hæc sectio de reuolutione est, seu declinatione Verborum iam commemoratorum, ex ternarijs, & quaternarijs Verborum simplicium, & additorum in se ipsis. Hoc est si reuolueris, seu coniugabis hæc Verba prædicta prouenient exempla, veluti Præteritum & Modhareum, quod est cõmune Præsenti & Futuro, & Imperatiuũ & alia. Hæc autem sectio est de fabrica eorum. Et præcedit quidem Præteritum, quia tempus præteritum antecedit tempus futurum & præsens, & quia Trũcus, seu Thema, quod est Masdar, hoc est nomen verbale, habet respectum ad Modhareum, quod quidẽ prouenit per additionem super Præteritum. quod autem resultat per additionem non diuiditur in ramos.

16

اَمّا الماضِى فهو الفعل الّذى دَلّ على معنىً وُجِدَ فى الزّمان الماضى ✱

At Præteritum, sanè est Verbum, quod ostendit secundum significationem, quæ reperitur in tempore præterito.

Præteritum autẽ illud profectò est Verbũ, quod ostendit significationem, quæ est in tempore præterito.

Hoc autẽ Præteritũ diuiditur in Præteritũ actiuum, & Præteritũ passiuũ.

17

فالمبنىّ للفاعل منه ما كان اَوّله مفتوحًا او كان اوّل متحرّكٍ منه مفتوحًا

Fundamentum autẽ pro agente eius est id, cuius principium est Maphtuhatum, vel est cuius primum quod mouetur est maphtuhatum.

Fundamentum autem pro Præterito actiuo est, vt eius prima litera sit vocalata vocali Phatha, vel vt prima eius litera, quæ vocalatur, habeat vocalem Phatha.

17

مثاله .

Exempla eius.

نَصَرُوا iuuerunt. pro plurali.	نَصَرَا iuuerunt. pro duali.	نَصَرَ iuuit pro absẽte ſingulari.
نَصَرْنَ iuuerũt. pro plurali earũ.	نَصَرَتَا iuuerũt. pro duali earũ.	نَصَرَتْ iuuit pro abſente ſingulari fœminino.
نَصَرْتُمْ iuuiſtis. pro plurali.	نَصَرْتُمَا iuuiſtis. pro duali.	نَصَرْتَ iuuiſti pro adſente ſingulari maſculino.
نَصَرْتُنَّ iuuiſtis. pro plurali.	نَصَرْتُمَا iuuiſtis. pro duali.	نَصَرْتِ iuu iſti pro adſente ſingulari fœminino.
نَصَرْنَا iuuimus. pro plurali.		نَصَرْتُ iuui pro prima perſ. ſing.

18

وَقِس عَلَى هذا فَعْلَلَ وتَفَعْلَلَ وافْتَعَلَ وانْفَعَلَ واسْتَفْعَلَ وافْعَلَّ وافْعَوْعَلَ ولَاتَعْتَبِرْ حركات الالفات في الاوايل فانّها زايدة تثبت في الابتداء وتسقط في الدّرج ۞

V

Et adæqua ſuper hæc فَعْلَلَ & تَفَعْلَلَ & اِنْفَعَلَ & اِسْتَفْعَلَ & اِفْعَلَّ & اِفْعَوْعَلَ & ne æſtimes motiones li-

terarum Aliph in principijs , quoniam ipsæ additæ firmãtur in principijs, & cadunt incompositione.

Et tu applica exẽpla prædicta Verbi نَصَرَ *sup hæc Verba* فَعْلَلَ

اِفْعَلَّلَ *&* اِسْتَفْعَلَ *&* اِنْفَعَلَ *&* اِفْتَعَلَ *&* تَفَعْلَلَ *&*

& اِفْعَوْعَلَ *& ne cures vocalationes literarum Aliph in principijs horum Verborum existentium , quoniam ipsæ additæ cùm sint, permanẽt quidem in principijs Verborum, attamen in orationis constructione cadunt .*

19

والمبنيّ للمفعول منه وهو الّذي لم يسمّ فاعله ما كان اوّله مضمومًا كَفُعِلَ وفُعْلِلَ وأُفْعِلَ وفُوْعِلَ وفُعِّلَ وتُفُعِّلَ اوكان اوّل متحرّكٍ منه مضمومًا نَحْوَاُسْتُفْعِلَ وَافْتُعِلَ وهمزة الوصل تتبعُ هذا المضموم في الضمّ وما قبل اخره يكون مكسورًا ابدًا تقول نُصِرَزَيْدٌ وَ اُسْتُخْرِجَ المَالُ

Et fundamẽtum pro patiẽte eius est illud, cuius nõ nominatum fuit agens, cuius principium , est Madhmum , veluti فُعِلَ & فُعْلِلَ & اُفْعِلَ & فُوْعِلَ & فُعِّلَ & تُفُعِّلَ aut fuerit primũ quod mouetur ex eo , Madhmumatũ , veluti اُسْتُفْعِلَ & افْتُعِلَ & Hãzatol' vasli sequitur hoc madh-

matum in Dhammo, & quod eſt ante vltimũ eius eſt makſuratum ſemper, dices نُصِرَ زَيْدٌ وَٱسْتُخْرِجَ ٱلْمَالُ adiutus fuit Zaidus, & exſtracta fuerunt bona.

Et fundamentũ pro patiente eius eſt illud, cuius agens incognitum fuit, & cuius prima litera eſt vocalata vocali Dhamma, veluti فُعِلَ *&* فُعْلِلَ *&* أُفْعِلَ *&* فُوعِلَ *&* فُعِّلَ *&* تُفُعِّلَ *vel prima eius litera, quæ vocalatur habet vocalem Dhamma, veluti* أُفْتُعِلَ *&* أُسْتُفْعِلَ *& Hamzat vnionis imitatur hanc literam Madhmumatã in vocali Dhammo, & litera eius penultima eſt makſurata ſemper, dices enim* نُصِرَ زَيْدٌ وَٱسْتُخْرِجَ ٱلْمَالُ *adiutus fuit Zaidus, & extracta fuerunt bona.*

20

واما المضارع فهو ما اوله احدى الزوايد الاربع وهي الهمزة والنون والتاء والياء تجمعها أَنَيْتُ او أَتَيْنَ او نَأْتِي فالهمزة للمتكلم وحده والنون له كان معه غيره والتاء للمخاطب مفردًا ومثنى ومجموعًا مذكرًا كان او مؤنثا وللغايبة المفردة والمثناة والياء للغايب المذكر مفردًا اومثنى ومجموعًا ولجمع المؤنث الغايب

Modhareum verò eſt, cuius principium vna eſt additarum

quatuor, & illæ sunt ٱلْهَمْزَةُ Alhamzato & ٱلنُّونُ Nun, &

ٱلتَّآءُ Te, & ٱلْيَآءُ Ie, eas cõplectitur. أَنَيْتُ vel أَتَيْنَ vel

نَأْتِي Et Alhamzato quidem est pro loquente pro se ipso solo, & Nun pro eodem, cum quo fuerit alius, & Te pro adsente singulari, & duali & plurali, masculinæ sint, aut fœmininæ, & pro absente fœminino, singulari, & duali. & Ia pro absẽte masculino singulari, & duali, & plurali, & pro plurali fœminino, absente.

Modhareum verò est illud Verbũ in cuius principio semper est una ex quatuor literis, quæ illi adduntur pro formandis personis, numeris & generibus, ea sanè sunt ٱلْهَمْزَةُ *Alhãzato &* ٱلنُّونُ *Nun, &* ٱلتَّآءُ *Te, &* ٱلْيَآءُ *Ie. Istas autem quatuor literas formatiuas omnes continẽt unaqueque ex tribus dictionibus,* أَنَيْتُ *&* أَتَيْنَ *&* نَأْتِي *& Aliph quidẽ est formatiua primæ personæ singularis communis, & Nun formatiua primæ personæ pluralis cõmunis, & Te formatiua secundæ personæ singularis, & dualis, & pluralis, (siue masculinæ sint psonæ, siue fœmininæ,) & est etiã formatiua tertiæ psonæ singularis, & dualis fœmininæ, & Ie est formatiua tertiæ psonæ singularis masculinæ, & dualis, & pluralis, & adhuc formatiua est tertiæ psonæ pluralis fœmininæ.*

Et hoc Modhareum simili modo diuiditur in actiuum, & passiuum.

21

وهذا يصلح للحال والاستقبال تقول يَفْعَلُ ٱلْآنَ ويسمى حالًا وحاضرًا ويَفْعَلُ غدًا ويسمى مُسْتَقْبَلًا

فاذا ادخلت عليه السين اوسَوْفَ فقلت سَيَفْعَلُ
اوسَوْفَ يَفْعَلُ اُخْتُصَّ بزمان الاستقبال

Et hoc valet pro Præſenti, & Futuro, dices يَفْعَلُ آلْآنَ operatur nunc, & vocatur حَالًا & حَاضِرًا Præſens & يَفْعَلُ غَدًا operabitur cras, & vocatur مُسْتَقْبَلًا Futurum. & ſi introire feceris in ipſum السِّينَ aut سَوْفَ dices سَيَفْعَلُ operabitur, vel سَوْفَ يَفْعَلُ operabitur, & appropriabitur tempori Futuro.

Et hoc Modhareũ valet pro Præſenti tẽpore, & Futuro, dices enim يَفْعَلُ آلْآنَ *operatur nunc, & vocatur tunc* حَالًا *&* حَاضِرًا *Præſens, &* يَفْعَلُ غَدًا *operabitur cras, & vocatur* مُسْتَقْبَلًا *Futurum. Et ſi addideris in eius principio literam* سِينْ*, aut dictionem* سَوْفَ *dices,* سَيَفْعَلُ *operabitur, vel* سَوْفَ يَفْعَلُ *operabitur, & tunc manifeſtè erit Futurum.*

22

فالمبنيّ للفاعل منه ما كان حرف المضارعة منه مفتوحًا
الّا ماكان ماضيه على اربعة احرفٍ فانّ حرف المضارعة

منه يكون مضمومًا ابدًا نحو يُدَحْرِجُ ويُكْرِمُ ويُقَاتِلُ ويُفَرِّحُ وعلامة بناء هذه الاربعة للفاعل كون الحرف الّذى قبل الاخر منه مكسورًا ابدًا ۞

Fundamentum autẽ pro agente eius est id, cuius fuerit litera Modharea maphtuhata, excepta illius, cuius Præteritum fuerit super quatuor literas, quoniam litera Modharea eius erit madhmumata semper veluti يُدَحْرِجُ & يُكْرِمُ & يُقَاتِلُ & يُفَرِّحُ & signum fabricæ horum quatuor pro agẽte est literã, quæ est ante vltimã eius, esse maksuratã semper.

Fundamentũ autem pro Modhareo Actiuo est Verbum, cuius litera modharca est maphtuhata, excepta illa, quæ est Verbi, cuius Præteritum, est quatuor literarum, quoniam litera modharca talis Verbi est semper madhmumata, veluti يُدَحْرِجُ *&* يُكْرِمُ *&* يُقَاتِلُ *&* يُفَرِّحُ *Et signum fabricæ pro Modhareo actiuo horum quatuor Verborum, est literam penultimam cuiuscunque illorum esse Maksuratam semper.*

مثاله من يَفْعُلُ

Exẽpla fabricæ Modharei actiui, cuius secunda litera truncalis est madhmumãta.

يَنْصُرُ	يَنْصُرَانِ	يَنْصُرُونَ
iuuat g. m.	iuuant duo.	iuuant plu. g. m.

يَنْصُرْنَ iuuant plu. g. f.	تَنْصُرَانِ iuuant duæ.	تَنْصُرُ iuuat g. f.
تَنْصُرُونَ iuuatis plu. g. m.	تَنْصُرَانِ iuuatis duo.	تَنْصُرُ iuuas g. m.
تَنْصُرْنَ iuuant plu. g. f.	تَنْصُرَانِ iuuatis duæ.	تَنْصُرِينَ iuuas g. f.
نَنْصُرُ iuuamus. g. c.		أَنْصُرُ iuuo g. c.

23

وقس على هذا يَضْرِبُ ويَعْلَمُ ويُدَحْرِجُ ويُفَرِّحُ ويُكْرِمُ
ويُقَاتِلُ ويَتَكَسَّرُ ويَتَبَاعَدُ ويَنْقَطِعُ ويَجْتَمِعُ ويَحْمَرُّ
ويَحْمَارُّ ويَسْتَخْرِجُ ويَعْشَوْشِبُ ويَقْعَنْسِسُ ويَسْلَنْقِي
ويَتَدَحْرَجُ ويَحْرَنْجِمُ ويَقْشَعِرُّ

Et adæqua ſuper hæc يَضْرِبُ & يَعْلَمُ & يُدَحْرِجُ &
يُفَرِّحُ & يُكْرِمُ & يُقَاتِلُ & يَتَكَسَّرُ & يَتَبَاعَدُ & يَنْقَطِعُ
& يَجْتَمِعُ & يَحْمَرُّ & يَحْمَارُّ & يَسْتَخْرِجُ & يَعْشَوْشِبُ &
يَقْعَنْسِسُ & يَسْلَنْقِي & يَتَدَحْرَجُ & يَحْرَنْجِمُ & يَقْشَعِرُّ

Et applica tu ſuper hæc ſequentia Verba , exempla,quæ allata

ſunt in declinatione Modharei, يَنْصُرُ *Verba autē ſunt* يَضْرِبُ *&* يَعْلَمُ *& cætera vt ſupra.*

24 واعلم انه يدخل على الفعل المضارع ما ولا النافيتان فلا تغيران صيغته تقول ❀


Et Scito quòd intrant in Verbum Modhareum مَا & لَا duæ negationes, quæ non variant formationem eius, dices.

Et ſcias oportet ante Verbū Modhareum addi duas negatiōnes مَا *quæ negat de Præſenti, &* لَا *quæ negat de Futuro, & nihil ſane alterant formationem Modharei, dices enim.*

لَايَنْصُرُ	لَايَنْصُرَانِ	لَايَنْصُرُونَ
non iuuabit g. m.	non iuuabunt duo.	non iuuabunt plu. g. m.

الي اخره vſque ad finem eius.

لَاتَنْصُرُ	لَاتَنْصُرَانِ	لَايَنْصُرْنَ
non iuuabit g. f.	non iuuabunt duæ.	non iuuabunt. plu. g. f.
لَاتَنْصُرُ	لَاتَنْصُرَانِ	لَاتَنْصُرُونَ
non iuuabis g. m.	non iuuabitis duo.	non iuuabitis. plu. g. m.
لَاتَنْصُرِينَ	لَاتَنْصُرَانِ	لَاتَنْصُرْنَ
non iuuabis. g. f.	non iuuabitis duæ.	non iuuabitis, plu. g. f.



لَانَنْصُرُ	لَاأَنْصُرُ
non iuuabimus, g.c.	non iuuabo. g.c.

1	لَا	*Quatuor habent Arabes dictiones negatiuas, videlicet La, & Len, & Ma, & Lem, quas adiungunt Modhareo. Et prima quidem, & secunda sunt pro negatione Futuri, verum prima quidem, scilicet La, est pro simplici negatione Futuri, & non variat constitutionem eius, vt vides, secunda vero Len, est pro firma, seu sempiterna negatione Futuri, & variat eius constitutionem, operatur namque, vt vocalis vltimæ litteræ, quæ est Dhammo mutetur, in vocalem Naseba, hoc est Phatha, vt infra videbis. tertia Ma, est pro negatione Præsentis, & quarta Lem pro negatione præteriti, vt hic infra.*
2	لَنْ	
3	مَا	
4	لَمْ	

25

ويدخل الجازم فيحذف حركة الواحد ونون التّثنية والجمع والواحدة المخاطبة ولاتحذف نون جماعة المؤنث فانّه ضمير كالواو في جمع المذكّر فتثبت علي كلّ حال تقول ٭

Et ingreditur Giazemo, & tollit motionē singularis, & literam Nun dualis, & pluralis, & singularis fœmini adsentis, & non aufertur Nun pluralis fœminini, illa namque est Dhamir, veluti litera Vau in plurali masculino, quare firmatur in omni dispositione, dices enim.

Et ingreditur ipsum Modhareum dictio Gezmi, & aufert ab eo vltimam vocalem cuiuscumque numeri singularis, & aufert literam Nun dualis, & pluralis, & numeri singularis fœmini secundæ personæ, & non aufertur Nun pluralis fœminini, illa enim est Dhamir, veluti est litera Vau in plurali masculino, propter quod permanet in omni dispositione, dices enim.

لَمْ يَنْصُرْ non iuuit.	لَمْ يَنْصُرَا non iuuerunt duo.	لَمْ يَنْصُرُوا non iuuerunt plu. g. m.
لَمْ تَنْصُرْ non iuuit. g. f.	لَمْ تَنْصُرَا non iuuerunt duæ.	لَمْ يَنْصُرْنَ non iuuerunt. plu. g. f.
لَمْ تَنْصُرْ non iuuiſti. g m.	لَمْ تَنْصُرَا non iuuiſtis duo.	لَمْ تَنْصُرُوا non iuuiſtis. plu. g. f.
لَمْ تَنْصُرِي non iuuiſtis. g. f.	لَمْ تَنْصُرَا non iuuiſtis. duæ.	لَمْ تَنْصُرْنَ non iuuiſtis. plu. g. f.
لَمْ أَنْصُرْ non iuui.		لَمْ نَنْصُرْ non iuuimus.

26

ويدخل النَّاصِبُ فيبدّل من الضّمة فتحةً ويسقط
النّونات سوي نون جمع المؤنّث فتقول

Et intrat Naſebo, & mutat ex Dhammo in Phatha, & cadunt literæ Nun, excepta Nun pluralis fœminini, dices autem.

Et ingreditur Modhareum dictio Naſebo, quæ mutat vltimam eius vocalem ex Dhammo in Phatha, & reijcit omnes literas Nun, excepta Nun numeri pluralis fæminini, dices namque.

لَنْ يَنْصُرَ nullo modo iuuabit, in æternum non iuuabit.	لَنْ يَنْصُرَا dualis gen. maſ.	لَنْ يَنْصُرُوا plur. g. maſ.

لَنْ تَنْصُرَ	لَنْ تَنْصُرَا	لَنْ يَنْصُرْنَ
sing. gen. fœm.	dualis gen. fœm.	plur. gen. fœm.
لَنْ تَنْصُرَ	لَنْ تَنْصُرَا	لَنْ تَنْصُرُوا
sing. gen. mas. per. 2.	dualis.	pluralis.
لَنْ تَنْصُرِي	لَنْ تَنْصُرَا	لَنْ تَنْصُرْنَ
sing. gen. fem. per. 2.	dualis.	pluralis.
لَنْ أَنْصُرَ		لَنْ نَنْصُرَ
prima per sing. com.		prima per plur. g. com.

27

ومن الجوازم لام الامر فتقول في امر الغايب .

Et ex Ciauazimi est Lam Imperatiui, dices enim in Imperatiuo absentis.

Et ex ijs quæ faciunt, vt vltima litera Modharcĭ desinat in signum Gezmi est litera Lam, quæ præponitur Imperatiuo, dices namque in Imperatiuo tertiæ personæ.

لِيَنْصُرْ	لِيَنْصُرَا	لِيَنْصُرُوا
iuuet ille.	iuuent dual.	iuuent plur.
لِتَنْصُرْ	لِتَنْصُرَا	لِتَنْصُرْنَ
iuuet illa.	iuuent dual.	iuuent plur.

وكذا & sic

لِيَضْرِبْ لِيَعْلَمْ وليدحرج وغيرها & cætera.

28

ومنها لاء الناهية فتقول في نهى الغايب

Et ex illis eſt, La, Prohibitionis. Dices enim in Prohibitione abſentis.

Et ex illis etiam quæ faciunt, vt vltima litera Modharei deſinat in ſignum Gezmi, eſt dictio prohibitiua La, quæ præponitur Imperatiuo prohibitiuo. Dices namque in prohibitione Imperatiui abſentis.

لا ينصروا	لا ينصرا	لا ينصر
ne iuuent n. pl.	ne iuuent illi duo.	ne iuuet ille.
لا ينصرن	لا تنصرا	لا تنصر
ne iuuent n. plur,	ne iuuent illæ duæ.	ne iuuet illa:

29

وفي النهي الحاضر Et in Prohibitione adſentis.

Et in prohibitione Imperatiui perſonæ ſecundæ dices.

لا تنصروا	لا تنصرا	لا تنصر
ne iuuetis.plur.	ne iuuetis dual.	ne iuues.g.m.
لا تنصرن	لا تنصرا	لا تنصري
ne iuuetis.plur.	ne iuuetis. dual.	ne iuues.g. f.

30 وهكذا قياس ساير الامثلة

Et hoc modo eſt applicatio, reliquorum exemplorum.

وامّــا الامر بالصيغة وهو الامر الحاضر فهو جارٍ على
لفظ المضارع المجزوم فان كان ما بعد حرف المضارعـة
متحرّكًا فتسقط منه حرف المضارعة وتأتى بصورة
الباقى مجزومـــًا ❁

Sed Imperatiuum cum formatione, & illud eſt Imperatiuum præſens, eſt currens ſecundum dictionem Modharei magzumati, quòd ſi fuerit id, quod eſt poſt literam Modhaream mobile, cadit ab eo litera Modharea, & venit in formam reliquorum, magzumatum.

At Imperatiuum cum peculiari ſua formatione, quod quidem eſt Imperatiuum præſens, ſimile ſanè eſt Modhareo magzumato in reiectione, ſcilicet vocalium, & literarum Nun, & ſi litera, quæ ſequitur literam Modhaream fuerit vocalata, reijcitur tunc ab hoc Imperatiuo litera Modharea, & venit ſecundum formam reliquorum, magzumatum.

فتقول فى الامر من يُدَحْرِجُ

Dices enim in Imperatiuo Verbi Todah regio.

دَحْرِجُوا	دَحْرِجَا	دَحْرِجْ
voluite, n. plur.	voluite. n. dual.	volue. g. m.
دَحْرِجْنَ	دَحْرِجَا	دَحْرِجِي
voluite. n. plur.	voluite. n. dual.	volue. g. fœm.

وهكذا تقول فَرِّحْ وَقَاتِلْ وتَكَسَّرْ وتَبَاعَدْ وتَدَحْرَجْ

Et hoc modo dices فَرِّحْ & قَاتِلْ & تَكَسَّرْ & تَبَاعَدْ & تَدَحْرَجْ &

32

وان كان ساكنًا فتحذف منه حرف المضارعة وتأتي بصورة الباقي مجزومًا مزيدًا في أوّله همزة وصل مكسورةً الّا ان يكون عين المضارعة منه مضمومًا فتضمها تقول

Et si fuerit quiescens, reijcitur ab eo litera Medharea, & venit in formam reliquorum, magzumatum, addito in principio eius Hamzatol' vasli maksurato, præter quàm si esset secunda litera Modharei eius madhmumata, namque ipsum esset madmumatum. Dices.

Et si litera, quæ est post literam Modhaream fuerit quiescens, reijcitur ab eo litera Modharea, & venit secundum formam reliquorum, magzumatum, addito in eius principio Hamzatel' vasli maksurato, præter quàm si esset secunda litera Modharei sui madhmumata, tunc enim ipsum quoque Hamzato erit madhmumatum, Dices enim.

أُنْصُرُوا	أُنْصُرَا	أُنْصُرْ
iuuate. plur.	iuuate. dual.	iuuatu. g. m.

أُنْصُرْنَ	أُنْصُرَا	أُنْصُرِي
iuuate.plur.	iuuate.dual.	iuua tu.g fœm.

وكذلك إِضْرِبْ وَاعْلَمْ وَانْقَطِعْ وَاجْتَمِعْ وَاسْتَخْرِجْ

Et eodem modo إِضْرِبْ & إِعْلَمْ & إِنْقَطِعْ & إِجْتَمِعْ & أُسْتَخْرِجْ

وفتحوا همزة أَكْرِمْ بناءً على الاصل المرفوض فانّ اصلَ تُكْرِمُ تُأَكْرِمُ ۞

Et aperuerunt Hamzat أَكْرِمْ fabricando ſuper truncum derelictum, quoniam truncus تُكْرِمُ eſt تُأَكْرِمُ

Et Hamzat Imperatiui أَكْرِمْ *affecerunt vocali Phatha, declinando ſecundum thema derelictum, thema namque* تُكْرِمُ *eſt* تُأَكْرِمُ

33

واعلم انّه اذا اجتمع تَاآن في اوّل مضارع تَفَعَّلَ وتَفَاعَلَ وتَفَعْلَلَ ويجوز اثباتهما نحو تَتَجَنَّبُ وتَتَقَاتَلُ وتَتَدَحْرَجُ ويجوز حذف احديهما وفي التنزيل فانت

لَهُ تَصَدّٰى وَنَارًا تَلَظّٰى وَتَنَزَّلُ ٱلْمَلَائِكَةُ ۞

Et ſcias quòd quando vniuntur duæ Ta in principio Modharei تَفَعَّلَ & تَفَاعَلَ & تَفَعْلَلَ & licet cõfirmatio ambarum, vt تَتَجَنَّبُ & تَتَقَاتَلُ & تَتَدَحْرَجُ & licet reiectio vnius earum duarum, & in deſcenſu لَهُ تَصَدّٰى فَأَنْتَ & نَارًا تَلَظّٰى & تَنَزَّلُ ٱلْمَلَا ئِكَةُ

Et ſcias oportet, quando duæ literæ Ta, vniuntur in principio Modharei Verborum تَفَعَّلَ & تَفَاعَلَ & تَفَعْلَلَ *licitum eſſe confirmare ambas, vt* تَتَجَنَّبُ & تَتَقَاتَلُ & تَتَدَحْرَجُ *& licere etiam reijcere vnam ex illis dualus, vt in libro deſcenſus* لَهُ تَصَدّٰى & فَأَنْتَ & نَارًا تَلَظّٰى & تَنَزَّلُ ٱلْمَلَا ئِكَةُ

34

ومتى كان فَاءُ افْتَعَلَ صادًا اوضادًا اوطآءً اوظآءً قلبت تَاؤه طآءً فتقول في افْتَعَلَ من ٱلصُّلْحِ اِصْطَلَحَ ومن ٱلضَّرْبِ اِضْطَرَبَ ومن ٱلطَّرْدِ اِطَّرَدَ ومن ٱلظُّلْمِ اِظْطَلَمَ ۞

Et quando fuerit prima litera truncalis Verbi اِفْتَعَلَ litera صاد aut ضاد aut طآء aut ظآء vertitur تآء eius in طآء & dices in اِفْتَعَلَ à صُلْح اِصْطَلَح & à ضَرْبِ اِضْطَرَبَ & à طَرْدِ اِطَّرَدَ & à ظُلْمِ اِظْطَلَمَ

Et quando prima litera truncalis Verborum ordinis اِفْتَعَلَ *fuerit litera* صاد *aut* ضاد *aut* طآء *aut* ظآء *mutatur tunc litera addititia* تآء *in literam* صآء *& dices in Verbis huius ordinis* اِفْتَعَلَ *verbi gratia ex* صُلْح *cuius prima litera truncalis est* صاد *fit Verbum* اِصْطَلَحَ *& non* اِصْتَلَحَ *& à* ضَرْبِ *fit* اِضْطَرَبَ *& à* طَرْدِ *fit* اِطَّرَدَ *& à* ظُلْمِ *fit* اِظْطَلَمَ

35

وكذلك متصرّفاته نحو يَصْطَلِحُ فهو مُصْطَلِحٌ وذلك مُصْطَلَحٌ اِصْطَلِحْ لاتَصْطَلِحْ ٭

Et simili modo reuoluta sua, veluti يَصْطَلِحُ & est

مُصْطَلِحٌ & ista مُصْطَلَحٌ اِصْطَلِحْ لَاتَصْطَلِحْ

Et isto quoque modo formantur reliqua eius exempla, veluti Modhareum suum يَصْطَلِحُ & مُصْطَلِحٌ & *ista* مُصْطَلَحٌ

& اِصْطَلِحْ & لَاتَصْطَلِحْ

36

ومتى كان فآء افتعل دالا اوذالا اوزاء قلبت تاوه دالا فتقول في افتعل من الدرء والذكر والزجر ادّرء واذّكر وازدجر ۞

Et quando fuerit prima litera truncalis Verbi اِفْتَعَلَ Dal, aut Dhal, aut Zain, vertetur Te, eius in Dal, & dices in Verbo اِفْتَعَلَ à دَرْءٌ & ذِكْرٌ & زَجْرٌ اِدَّرَءَ & اِذَّكَرَ & اِزْدَجَرَ

Et quando Verbi ordinis اِفْتَعَلَ *prima litera truncalis fuerit Dal, aut Dhal, aut Zain, litera eius Te, mutabitur in Dal, dices enim in Verbo ordinis* اِفْتَعَلَ *ab* الدَّرْءُ اِدَّرَءَ & اِزْدَجَرَ *ab* الزَّجْرِ & اِذَّكَرَ *ab* الذِّكْرِ

37

ويلحق الفعل غير الماضي والحال نونان للتاكيد

خفيفة ساكنة وثقيلة مفتوحة الّا فيما تختصّ به وهو
فعل الاثنين وجماعة النّساء فهى مكسورة فيهما فتقول
اذْهَبَانِّ للاثنين واذْهَبْنَانِّ يا نِسْوَةُ ❁

Et adueniunt Verbo, præterquàm Præterito, & Præsenti, duæ Nun, pro confirmatione, leuis quiescens, & grauis Maphtuhata, excepto illo, cui propria est, & est Verbum duale, & plurale fœmininum, in quibus duobus Maksurata est. Dices enim اذهَبَانِّ abite omnino, pro duali, & اذْهَبْنَانِّ يا نِسْوَةُ abite omnino ò mulieres.

Et adueniunt Verbo, exceptis Præterito, & Præsenti duæ literæ Nun, ad significandam omnimodam confirmationem, quarum altera quidem est leuis quiescens, & altera grauis cum vocali Phatha, præterquàm in illo Verbo, cui propria est Nun cum Kesra, & illud est Verbum duale, & plurale fœmininum, in quibus duobus semper maksurata est, dices enim pro duali اِذْهَبَانِّ *abite omnino vos duæ, & pro plurali* اِذْهَبْنَانِّ يا نِسْوَةُ *abite omnino ò mulieres.*

38

فتدخل الفًا بعد نون الجمع المؤنّث لتفصل بين النونان

Et immittes Aliph, post Nun, pluralis fœminini pro separatione duarum Nun.

Et intromittes tu literam Aliph, post Nun pluralis fœmi-

nini, vt distinguas inter hanc, & alteram, quæ est affirmationis grauata.

39

ولاتدخلهما الخفيفة لانّه يلزم التقاء السّاكنين على غير حدّه فانّ التقاء السّاكنين انمّا يجوز اذا كان الاوّل حرف مدٍّ والثّانى مدغمًا فيه نحو دَابَّةٍ ۞

Et ne intromittas in illa duo leuem, quoniam necessariò veniet concursus duarum quiescientium extra terminum suum, quoniam concursus duarum quiescentium permittitur quidem, quando fuerit prima litera productionis, & secunda intermissa in illam veluti دَابَّةٍ

Et ne intromittas tu, in Verbum duale, & plurale fœmininum Nun leuem, quoniam necessario veniet concursus duarum literarum quiescentium extra terminum suum, concursus namque duarum quiescentium, tunc quidem permittitur solùm cum prima quiescientium fuerit vna ex literis productionis, quæ sunt Aliph, Vau, & Ie, & secunda fuerit immissa virtute Tescdit in literam vltimam veluti دَابَّةٍ

40

ويحذف من الفعل معهما النون فى الامثلة الخمسة وهى يَفْعَلَانِ وتَفْعَلَانِ ويَفْعَلُونَ وتَفْعَلُونَ وتَفْعَلِينَ

Et reijcitur à Verbo cum duabus illis Nun, in exemplis

quinque, & sunt يَفْعُلَانِ & تَفْعُلَانِ & يَفْعُلُونَ &
تَفْعُلُونَ & تَفْعُلِينَ

Et reijcitur à Verbo, cum Nun leui, & graui Nun formatiua in quinque exemplis, quæ sunt يَفْعُلَانِ *&* تَفْعُلَانِ *&*
يَفْعُلُونَ *&* تَفْعُلُونَ *&* تَفْعُلِينَ

41

وتحذف واو يَفْعُلُونَ وتَفْعُلُونَ ويآء تَفْعُلِينَ الا
اذا انفتح ما قبلهما نحو لَا تَخْشَوُنَّ ولَا تَخْشَيِنَّ و
لَتُبْلَوُنَّ فامّا تَرَيِنَّ ۞

Et reijcitur Vau, يَفْعُلُونَ & تَفْعُلُونَ & Ie, تَفْعُلِينَ
præter quàm quando, quæ est ante illas duas habet Phatha, veluti لَا تَخْشَوُنَّ nolite timere, & لَا تَخْشَيِنَّ noli timere, & لَتُبْلَوُنَّ probent omnino فَامَّا تَرَيِنَّ si autem viderint mulieres.

Et reijcitur Vau Verborum يَفْعُلُونَ *&* تَفْعُلُونَ *& Ie Verbi* تَفْعُلِينَ *præter quàm quando litera, quæ est ante il-*

